THESES THEOLOGICAE DE SCRVTANDIS SCRIPTVRIS SACRIS, ET EARVM SVFFICIENTIA AD veram Dei, & vitæ æternæ cognitionem:

In quibus examinantur aliquot instantiæ & exceptiones IOHANNIS LENSEI *Professoris Louaniensis pro Traditionibus, & verbo non scripto, contra* D. ANTON. SADEELEM *P. M.*

De his disputabitur in auditorio Theologico ad diem xx Nouembr. horis matutinis,

PRÆSIDE

DANIELE TOSSANO S. THEOLOGIAE D. ET PROFESSORE IN INCLYTA Academia Heidelbergensi:

Respondente

IACOBO KREY HACHENBVRGENSE S. Theologiæ Studioso.



HEIDELBERGAE,
excudebat Abrahamus Smesmannus.
ANNO cIↃ IↃ XCI.



ILLVSTRIBVS, ET INCLYTAE EXSPECTATIONIS COMITIBVS, D. PHILIPPO LVDOVICO, COMITI AB HANAVV ET REINECK, DOMINO IN MINTZENBERG: ET D. ADOLPHO, COMITI A BENTHEM ET TECKELBVRG, IN ANTIQVA HAC ET CELEBERRIMA ACADEMIA HEIDELBERGENSI HOC TEMPORI VERSANTIBVS: ET CVM OMNIS PRÆCLARÆ LITERATVRÆ, TVM INPRIMIS SACRARVM LITERARVM INDAGATORIBVS STVDIOSISSIMIS: SVAS HAS DE SACRIS SCRIPTVRIS SCRVTANDIS THESES, OBSERVANTIÆ CAVSA, DICAT ET OFFERT

DANIEL TOSSANVS.

Vegetius:

NVLLVS est, *quem oporteat, vel plura, vel meliora scire, quàm Principem: cuius doctrina debet omnibus subditis prodesse.*

Ouid.lib.5.de Trist. Eleg.15:

Qui monet vt facias quod iam facis ille monendo,
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.



DE SCRVTANDIS SCRIPTVRIS SACRIS: iuxta illud Iohan. 5.

Scrutamini Scripturas: Nam vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testificantur de me.

THESIS PRIMA.



CVm causa certitudinis in Ecclesiæ doctrinâ sit reuelatio Dei, qui mentiri non potest; is autem voluntatem suam in verbo suo plenissimè nobis reuelauerit, & totam cultus sui rationem præscripserit: meritò in Ecclesia verbum Dei eminere, & lucernæ instar nobis prælucere debet.

II.

Etsi verò sermone, siue verbo enunciatiuo initio vsus est Deus, crebrisque apparitionibus & visionibus fidem primis illis temporibus sibi parare voluit; Nos iam rectè tamen sacram Scripturam VERBVM DEI vocamus, quæ illius enunciatiui est Symbolum, & eandem planè Fidem, eundem Dei cultum, eundem Seruatorem nobis proponit, quem Sermo ille, vel verbum enunciatiuum proponebat.

III.

Scripturam enim Dei vocem & verbum esse per quod quotidie nos alloquitur Deus, testantur varia loca. Ierem. 7:22. Micha. 6. v. 8. 9. Psal. 95. Heb. 3. Ioh.

19 v 17.Rom.4.13.Rom. 9.19. Hebr.1. v.1. Prophetæ ſiquidem & Apoſtoli Dei organa fuêre, & à Spiritu Sancto acti homines Dei locuti ſunt, 2. Petr. 1. vnde & Scriptura θεόπνευστος appellatur, 2. Tim.3.

IIII.

In Pſal. 90. Et non abs re D. Auguſtinus Scripturam ait eſſe *Epiſtolam à Ciuitate cœleſti ad nos miſſam, quæ nos officij noſtri erga Deum & proximum commonefaciat.*

V.

Ingrati itaque erga Deum ſunt, eundemque tentant, qui hanc Dei Optimi Maximi Oeconomiam non agnoſcentes, ad verbum non ſcriptum vel ad ea tempora, quibus ſine Scriptura Eccleſia regebatur, *Lenſeus pag. 2.* nos reuocare volunt, potius quàm vt cum Orthodoxis in Sacris Scripturis acquieſcant.

VI.

Nam vt ea omittamus, quæ veriſimiliter de Scripturis ab initio mundi vſurpatis adferri poſſent, vt de libro Henoch, cuius aliquid citatur non ſolùm à B. Iuda in Epiſtola, verum etiam Tertulliano & ab Auguſtino. Item de duabus illis Columnis, alterâ Lateritiâ, alterâ Lapideâ, quibus ante diluuium multa inſcripta fuiſſe ſcribit Ioſephus Antiquit.lib.1.cap.3. Simpliciter pronunciamus, nullius momenti eſſe, quod Pontificij nonnulli ad Scripturam extenuandam, & Traditiones extollendas, aiunt, verbum non ſcriptum antiquius eſſe Scripturâ. *Lib de Idololat. De Ciui. Dei, lib. 15. ca. 23.*

VII.

Non enim quæritur, vtrum ſit antiquius verbum non ſcriptum, an verbum ſcriptum: ſed quæritur, an Deo præſcribere debeamus, quomodo Eccleſiam regere debeat: & an non illi æquè ſint erga Deum ingrati

grati, qui vt deprimant ſcripturam, ad antiquitatem verbi non ſcripti confugiunt, atque ij, qui ob antiquitatem cultus Moſaici, eum Euangelij prædicationi anteponere vellent.

VIII.

Deinde hoc contendimus: Nihil cõtra ſcripturam facere verbum Dei non ſcriptum: quia idem eſt Dei verbum: doctrina eadem, ſi ſubſtãtiam ſpectes, quam Deus olim & Chriſtus in terris ſermone enũciarunt: & quam ſaluberrimo conſilio partim Deus ipſe ſcripſit, vt Decalogum: partim ſcriptis mandari voluit.

IX.

Conſilium autem ſuum ea in re nobis Deus ipſe aperuit Deuteron. *31:* cur videlicet ſcripturam extare voluerit: nimirum ne mortuis prophetis, & creſcente vel ſedes mutante populo, excideret Legis Diuinæ memoria: ſed ad poſteros quoque propagarentur, & integra conſeruarentur Dei Teſtimonia.

X.

Idcircò in omnibus grauibus controuerſiis ad illa Teſtimonia recurri voluit, nec ea vnquam planè interire paſſus eſt, ne tunc quidem cùm libros Sacros ſollicitè conquiri & flammis tradi mandabat Antiochus, & poſt Chriſti aſcenſum in cœlũ, Diocletianus. *Deut. 17. 18. 2. Reg. 23. 2. Eſd. 8. 10.*

Eſa. 8. Oſe. 8. 12. 1. Macab. 1. Euſeb. li. 8. Hiſtor. c. 2.

XI.

Interim Dei conſilium quaſi repudians Lenſeus affirmare audet, *Legis Scriptionem neceſſariam non fuiſſe*: *pag. 131.* & dum ait pag. 2. *mundum diu caruiſſe Scripturis*, concludit Scripturam, quam alibi tamen veritatis fundamentum vocat, non ita magni eſſe momenti: vnde *pag. 14.* & in Præfatione Orthodoxos ridet, qui in illo ſuo

Axiomate tuendo multum laborent: *Omnia*, *quæ ad Fidem & salutem pertinent, Sacris literis contineri.*

XII.

Disputationis huius summa.

Verùm vt in hac Tractatione omnis ambiguitas vitetur, & in cõspectu sit totiùs nostræ Disputationis summa: exponemus paulò vberius: primum, quid per Scripturam intelligamus. 2. Qualem eius sufficientiam agnoscamus. 3. Quomodo scrutanda & indaganda sit.

XIII.

Petrus à Soto contra Confess. Ducis VVirtemberg.

Scripturam cum nos tãtopere prædicamus, non certè literarum apices, syllabas, membranas, atramẽtum respicimus, vt nonnulli Sophistæ imaginati sunt, & hoc nomine suas Traditiones supra Scripturam euehere voluerunt, *quòd illa in cordibus; hæc in tabulis aut panniculis perituris scripta sit.*

XIIII.

Bellarmi. Emanuel de Vega.

pag. 129.

pag. 131.

Nec dissimili argumẽto vtitur Lenseus Louaniensis professor, cum aliquot aliis Iesuitis. Is enim in libello de verbo non Scripto contra D. Sadeelem P. M. nuperrimè edito, quasi apertè oppugnans Scripturas, (quas alibi magno Dei beneficio ad hominũ vtilitatem comparatas fatetur) ait, *Christum nihil scripti suis Apostolis tradidisse: sed pro literis, Spiritus S. gratiam repromisisse, qui omnia sit docturus.* Item, *mandatum dedisse de docendo & prædicando: non de scribendo.* D. etiam Paulum profiteri, doctrinam suam, *non atramento inscriptam; sed spiritu Dei viui: non in tabulis lapideis, sed in carneis tabulis cordis.*

2 Cor. 3.

XV.

Verùm quid hoc aliud est, quàm Scripturas, tanquam præter Christi mandatum & autoritatem editas

tas ex Ecclesia elimare: & cum Schvvenckfeldio totam Ministerij externi efficaciam submouere?

XVI.

Sic enim colligi poterit: Quæ Christus nec fecit, nec mandauit, ea facilè omitti possunt: Is verò nihil scripsit, nec scribi mandauit. Ergo scripturis facilè carere possumus.

XVII.

Item: Spiritus S. de omnibus nos docet. Ergò ad nos docendos Scripturâ non est opus: sed tantum ad nobis quædam in memoriam reuocanda vel ad aures foris feriendas.

XVIII.

Cæterùm ad prius Enthymema cum Augustino respondemus: *Dum quærunt, quare nihil scripserit Christus, præ se ferunt, se credituros, si aliquid scripsisset; nolle autem credere, quod alij pro arbitrio scripserint: Christum se vt sapientem honorare, qui nihil scripsit: nec agnoscere volunt Dei consilium admirabile fuisse, vt per quatuor quasi quadrigas, quatuor scilicet Euangelistas, Religio Christiana per totum orbem disseminetur.* Lib. 1. de Consensu Euangelist.

XIX.

Falsum est autem, sine Christi mandato scripsisse Euangelistas. Nam & ratio illa ipsa, qua nititur Deus in Veteri Testamento, mandans vt lex scriberetur, de qua Thes. 9. nunc non minùs locum habet: & quando Christus iubet doceri Euangelium, quis *Matt. 28* non videt, tum sermone, tum Epistolis, siue Scriptis *Luc. 1.* id faciendum esse: quum vtroque modo homines docere soleamus.

XX.

Ad alterum verò de Spiritu S. nos docente: respō-

det Christus ipse dicens Ioh. 15. *Spiritus ille veritatis testabitur de me: Et vos testabimini: quia à principio mecum estis: Ille in cordibus vestris* (inquit Augustinus) *vos in vocibus; ille inspirando, vos sonando.*

XXI.

Nec sonando solum voce, sed & scribendo: quia vna eademque est doctrina, quam tradiderunt, qui à principio Ministri fuerunt Sermonis, & quæ ad veritatem, *certitudinemque firmam* scriptis mandata est, vt monet B. Lucas cap. 1. Euangelicæ Historiæ.

XXII.

Scripturã quid vocemus. Non est ergo nobis Scriptura, qualiscumque Scriptura chartis illita, vel atramento aut notulis distincta: sed sunt τὰ ἱερὰ γράμματα, *2 Tim. 3. 15.* siue tota illa salutaris doctrina libris Canonicis veteris & Noui Testamenti ab iis scripto comprehensa, quos constat non propria libidine, sed actos Spiritu S. ea nobis descripsisse, *2 Pet. 1.* quæ Deus ipse edixit, & quæ Christus cum Apostolis ad nostram institutionem & salutem elocutus est.

XXIII.

Neque negat D. Paulus se atramento scripsisse, aut autoritatem abrogat Scripturis, faciens mentionem *Colos. 4.* tabularum cordis, 2. Cor. 3. cùm manifestum sit eum multa scripsisse, & suas epistolas in cœtu Ecclesiæ legi voluerit: sed rationem ibi reddit, cur commendatitiis Epistolis ad Corinthios opus non haberet: quandoquidem fructus prædicationis Pauli satis se se exerebat in Corinthiis, quorum cordibus, insculptã fuisse Christi cognitionem manifestum erat.

XXIIII.

Illa igitur secundum quid dicuntur: nec opponuntur, tanquam pugnantia, prædicatio & scriptio externa, &

na,&interna ſcriptio,quæ fit per Spiritum S.ſed optimè cohærent, & vnum idemque teſtimonium perhibent.

XXV.

Et fateri cogitur Lenſeus ipſe, ſecum perpetuò pugnans: vt inſcriptio fiat in cordibus, opus eſſe ordinario Miniſterio,& viuæ vocis prædicatione. Sed negat, inſcripto Euangelio cordibus noſtris, opus amplius eſſe ſcriptura illa externa,ad Euangelicæ veritatis conſeruationem. *pag. 127.*

XXVI.

Quaſi verò non ſit ipſis piis & augenda, & fouenda cognitio veritatis perpetua Scripturæ lectione & meditatione: & eadem ad poſteros propaganda. Quid ergò ſibi vult illud D. Pauli? *Eadem ſcribere vobis me quidem haud piget: vobis autem tutum eſt.* Et D. Petrus, *Iuſtū arbitror, quamdiu ſum in hoc tabernaculo, excitare vos per cōmonefactionem: cùm ſciam breui futurum, vt deponam hoc tabernaculum meum: ſed & ſtudebo, vt vos ſubinde poſt exitū meum poßitis horum mentionem facere.* *Philip. 3.* *2 Pet. 1.*

XXVII.

Sed inprimis ludicrum eſt, quod noſtram Scripturæ Sacræ definitionem à D. Sadeele propoſitam, hac ratione infirmare vult Lenſeus quod nulla talis ſcriptura nominari poſſit, quæ à Prophetis, Euangeliſtis & Apoſtolis, qui diuerſis vixere temporibus, ſimul perſcripta ſit.

XXVIII.

An non illud quæſo eſt in re ſeria iocari? Prophetæ & Euangeliſtę non ſimul ſcripſerunt. Ergo Scriptura non poteſt dici verbum Diuinitus inſpiratum & à Prophetis & Euangeliſtis ſcriptis mandatum.

 Nam

XXIX.

Nam nec prophetici libri, nec Psalmorum, eodem tempore scripti fuerunt. An ideo igitur peccauit Christus, qui vtrosque libros passim Scripturam vocat?

XXX.

Verùm quia in illa cauillatione sibi mirè placet Lenseus, & multis in locis id ipsum vrget, An non Decalogus sit Scriptura? an non epistola tertia Iohannis, an non epistola B. Iudæ? an non aliquis ex minoribus Prophetis? respondemus, Fallaciam esse æquiuocationis.

XXXI.

Nam quemadmodum Ecclesiæ etiam domesticæ, vrbanæ, prouinciales, Ecclesiæ dicuntur, licet propriè membra sint veræ illius & vniuersalis Ecclesiæ: ita singuli quidem libri Canonici Scriptura sacra rectè nominantur: quanquam nos Scripturam Fidei normam vocantes, totum illud corpus librorum Canonicorum intelligimus.

XXXII.

Et hactenus quidem de primo: Quid videlicet per Scripturam intelligamus: Nunc de ALTERO dicendum, videlicet de Scripturarum sufficientia, & authoritate: de qua nobis in præsentia præcipua lis est cum Pontificiis.

De Scripturæ Sacræ sufficientia.

XXXIII.

Pontificiorum contradictiones.

Ipsi porrò etsi magnificè de Scripturis loqui nonnunquam videntur: tamen & inter se, & secum pugnant: eaque docent, quibus omnis scripturis detrahitur autoritas: non secus cum eis agêtes (vt quidam ex Euangelicis Doctoribus monuit) ac Iudæi, qui

Christo

Christo colaphos infligebant, postea ficta oratione eum Regem salutabant, & petebant quis ipsum percussisset. Brentius contra Petrum à Soto.

XXXIIII.

Rem autē ita se habere, sic demonstramus: Eckius, inter hęreticas propositiones numerare audet, si quis dicat: *Scripturæ autoritatem maiorem esse, quàm Ecclesiæ.* Sic & Hosius scribit, *nullius ponderis fore scripturam sine autoritate Ecclesiæ.* Lindanus affirmat, *Traditiones esse Lydium lapidem, veræ & falsæ doctrinæ indicem.* Item, *Aiacis clypeum omnibus hæreticis obijciendum.* In locis de autoritate Ecclesiæ. Lib. 3 de autoritate Scripturæ. In Panoplia.

XXXV.

Alij paulò modestius scribentes, docent Scripturam habere ex se diuinam suam autoritatem; Ecclesiam declarare tantùm quanta sit eius autoritas. Andrad. Bellarm.

XXXVI.

Lenseus etiam concedit, Scripturam in suo genere esse absolutissimam & continere perfectam instructionem, optimaq; principia suppeditare. Item, erudiri Ecclesiam sufficienter ex libris Propheticis & Apostolicis. Alibi tamen scribit, *vtilem esse Scripturam, sed non sufficientem; & facilè nobis imponi posse ob Scripturarum vel breuitatem, vel obscuritatem.* *p. 69. & 85.* *pag. 70.*

XXXVII.

Concilium Tridentinum Sess. 4. Traditiones pari pietate suscipi vult, quâ Scripturas. Lenseus verò ait, non sequi, eâdem πληροφορίᾳ recipi Traditiones Ecclesiæ, vt Dei verbum: nam cùm discipulus testatur de Magistro, non sequi æquè credi discipulo ac Magistro.

XXXVIII.

Hæc omnia quàm & ἄτοπα, & inter se pugnantia sint, nemo non videt: nisi is cui superstitio oculos fascinauit. Nos verò constanter & vnanimiter vereque agnoscimus & affirmamus, nihil esse quod ad Salutē siue ad Fidem in Deum, ad vitam bene instituēdam, & ad legitimum necessariumque Ecclesiæ regimen pertineat, quod non ex sacræ Scripturæ partim expressis testimoniis, partim optimis consequentiis inde deductis, æquipollentibusque dictis & phrasibus demonstrari, & cognosci possit.

XXXIX.

Perinde enim sunt ea (vt rectè Nazianzenus monet) quæ ex manifestis & consentientibus Scripturæ locis benè concluduntur, atque ea quæ totidem verbis scripta sunt.

Libro 5. de Theologia.

XL.

Veluti est pædobaptismus: Mulierum communio in Sacra Synaxi: τὸ ὁμοούσιον, quod Arianorum strophis opposuerunt veteres Theologi: & Epiphanius agnoscit extare, non quidem, quoad nomen, sed quoad sensum σαφῶς παρὰ τοῖς ἀποστόλοις, καὶ τοῖς προφήταις: & alia huiusmodi.

Hæresi 60.

XLI.

Et quod ad ritus & Ceremonias Ecclesiasticas vel etiam politiam Ecclesiæ attinet: etsi pro Ecclesiæ ædificatione & ratione locorum, & temporum, de his peculiaria quædam in Synodis tractata sunt, nonnulla etiam Historica recitantur in Historiis Ecclesiasticis, quæ in scriptis Apostolicis non reperiuntur: affirmamus tamen, quod ad substantiam & ritus necessarios attinet, tum Sacramentorum, tum politiæ Ecclesiasti-

sticæ: sufficienter, nos de illis omnibus erudiri in literis sacris: nec admittendos ritus, quorum causæ & vsus ex bonâ aliqua consequentia ex scripturis ducta non ostendantur.

XLII.

Historias verò Ecclesiasticas sic legimus, quemadmodum scripta humana: non vt libros Canonicos, *quibus solis hunc honorem cum pia vetustate habemus, vt nullum eorum authorum scribendo errasse credamus.* Augustin. Epist. 19.

XLIII.

Spiritus enim Sancti doctrina est, quæ Canonicis literis continetur, *à quarum præscripto in negotio fidei discedere non licet, & contra quas, si quid statuant concilia* (sicut piè monent patres) *nefas est.* Cyril. de recta Fide ad Regin. Hierony. super epist. ad Galat.

XLIIII.

Nec potest certè non absolutissima esse ea doctrina, quæ Deum ipsum habet authorem: nec aberrare fides, quæ Dei verbo nititur: quod facilè fieret, si ab humana autoritate penderet.

XLV.

Scripturam autem non solum vtilem esse (vt vult Lenseus) verum etiam ad salutem sufficientem & necessariam, sæpè à nostris Theologis demonstratum fuit.

XLVI.

Neque enim aliunde iubet Christus, nos ea quæ ad vitam æternam pertinent, scrutari, nec ex alio fonte suas admonitiones, consolationes & reprehensiones deriuarunt Apostoli, & Protomartyres, Christi confessores. *Luc. 4. 21. Ioh. 5. Act. 9. 22. Act. 18. 28. Steph. Act. 7.*

XLVII.

Ioh. 6. 1. Ioh. 1. 2. Pet. 1. Ose. 8. Quapropter, *verbum vitæ, doctrina salutis, sermo firmus cui attendendum est*, & in quo diuina & *eximia legis axiomata perscripta sunt*, appellatur.

XLVIII.

Et Canonici libri à Canone siue norma certissima & immota, ad quam fides & mores nostri componi debent, appellati sunt.

XLIX.

Sed valdè ineptit Lenseus, qui illa elogia de lege perfecta & sermone firmo, non de Scripturis, verùm de verbo aliquo non scripto, acci pi vult.

L.

2 Pet. 1. v. 20. Nam & diuus Petrus expressè *scripturam cum prophetia* coniungit, & iubens nos attendere sermoni Prophetico, hoc ipsum iubet, quod diuus Paulus Ti-
1 Tim. 4. motheo præcepit, vt lectioni attendat: & quod Chri-
Ioh. 5. stus, vt scrutemur scripturas.

LI.

Aequè insulsum est, quod post Petrum à Soto, Bellarminus asserit, Libros Canonicos siue Scripturam, esse normam in genere: non autem in specie.

LII.

At contrarium constat ex doctrina prophetarum
Esa. 8. & Apostolorum: qui non solùm in genere, sed & in
Ioh. 5. specialibus factis nos ad scripturam recurrere vo-
Luca 24. lunt: vt quando disputatio aliqua exoritur, siue de ar-
Act. 15. v. 15. ticulo aliquo fidei, vt de Messiæ persona, de Iustifica-
tione &c. siue de recto vsu & ritibus sacramentorum.
1 Cor. 11.

Sunt

LIII.

Sunt quippe ſcripturæ, *ſtatera non doloſa, de Theſauris Domini deſumpta*, quas in omnibus controuerſiis adhiberi etiam vult diuus Auguſtinus, *& ampliſſima ſunt* regula & *norma Religionis*, vt fatetur Andradius Pontificius. Lib. 2. de Baptiſ. cõtra Donatiſt c. 6. Lib 3. defenſ. Concil. Tridẽ.

LIIII.

Qualis enim eſſet regula ſcriptura Canonica, ſi Fides latius ſe extenderet, quàm iuxta ſuam regulam? cùm regula ſit menſura, quæ non fallit, quæque nullam vel additionem, vel detractionem admittit.

LV.

Ex ſcripturis denique non erudimur ſolùm ſufficienter, ſed & potenter refutãtur Hæretici, & omnes malè ſentientes: quemadmodum diuus Paulus per tria ſabbatha diſſerens, Iudæos ex ſcripturis conuicit, Chriſtum eſſe Meſſiam, & monet idem, ſcripturam eſſe promptuarium, in quo omnia reperiantur, *quæ vel ad doctrinam, vel ad redargutionem, vel ad correctionem aut inſtitutionem Chriſtianam faciunt*, vt euadat homo Dei PERFECTVS: quod non fieret, ſi ſcripturæ doctrina imperfecta vel inſufficiens eſſet. *Act. 17.* *2 Tim. 3.*

LVI.

Et huius certè gladij Spiritus, ſufficientis ad iugulandas omnes hæreſes vim ſentiunt ipſi Pontificij: agnoſcentes ſuas ſuperſtitiones corruere, ſi ſolis ſcripturis ſit ſtandum: agnoſcunt & ſentiunt Ariani, quorum alij idcirco Euangelium Iohannis, alij Prouerbia Salomonis in dubium vocant: vt Emanuel à Vega Ieſuita obiicit Arianis in Tranſſyluania.

LVII.

Sed iam propius cõferere libet cũ Lenſeo, & expẽdere præcipua eius effugia contra D. Sadeelis demõſtra-

Præcipua rum ali quot Lanse exceptionum refutatio.

ſtrationes. Iuſtam enim illius Lenſeani Scripti refutationem (qui, vt Græci olim Hectori mortuo, Sadeeli poſt mortem inſultat, idque decem integris annis poſt editum Sadeelis De verbo ſcripto & non ſcripto librum) alij fortaſſe ſuſcipient.

LVIII.

Ac in præfatione quidem ſtatim calumniatur, nos Pelagio non eſſe diſſimiles, qui, teſte Auguſtino, libro de natura & gratia, cap. 39. dicere ſit ſolitus, *Credamus quod legimus.*

LIX.

Auguſtinus etenim, tantum abeſt vt eo in loco autoritatem & iudicium Eccleſiæ detrectet, vt paulò poſt ſubiiciat: *O vtinam non aliud diceret, quàm in illis ſacris literis legitur: & fideliter ac obedienter audiret quod ſcriptum eſt.*

LX.

Verùm Auguſtinus, eludens Pelagij indiſtinctum pronunciatum, ait, non omne quod legimus (ſine vlla ſcilicet diſtinctione fabuloſorum & veridicorum ſcriptorum) credi debere: Et citat (non tamen ſecundum textum Græcum) locum ex 1 ad Theſſal. 5. *Omnia legite: quod bonum eſt tenete,* vbi Græcus textus habet, Omnia δοκιμάζετε. I. probate. Quare nihil planè contra nos illud Auguſtini facit.

LXI.

Cæterùm in hoc potiſſimum Sophiſmate ſe mirè effert, & id ſubinde repetit Lenſeus, quod ex Bellarmino & aliis mutuatus eſt: Si Scriptura eſt fidei menſura, Ergò, quicquid ſcriptum eſt, erit fidei menſura: ſic

sic Genesis, sic Epistola beati Iudæ, sic tertia Iohannis erit fidei mensura.

LXII.

Quis verò non videt fallaciam esse diuisionis, quandoquidem (vt suprà professi sumus, & omnes Euangelici docent:) quotiescunque Scripturam ad salutem sufficientem & fidei normam esse dicimus, per Scripturam intelligimus, non singulas lineas, aut separatum aliquod caput, vel membrum Scripturæ; sed totam illam diuinitus inspiratam & libris Canonicis comprehensam Scripturam.

LXIII.

Ac olim quidem veteri populo sufficiens erat vetus Canon, siue Moses, Psalmi & Prophetæ, ad quos Christus & Apostoli Iudæos ablegarunt. Imò & Ecclesia initio libris Mosis fuit contenta, ante quàm scilicet plures Prophetas & Scriptores Deus excitasset, & quo tempore defectus ille per crebras visiones, aliasque reuelationes compensabatur.

LXIIII.

Quòd si nobis quoque solum Euangelium Iohannis, vel solam Epistolam ad Romanos scribi voluisset Deus, illis quidem contenti essemus: & in singulis, vt & in singulis Euangelistis, doctrinam Fidei & pœnitentiæ contineri agnoscimus.

LXV.

Nunc verò cùm Domino Deo visum sit mysteria sua clarius & vberius nobis patefacere: quia nimirum Christus clausula fuit veteris Testamenti, & omnium reuelationum, magnæ omninò ingratitudinis

esset, si veterem illum tantùm Iudaicum canonem, aut vnum atque alterum librum Noui Testamenti admitteremus.

LXVI.

Verùm hic rursus cauillatur Lenseus, & ex eo, quòd ad vetus Testamentum accessit nouum, probare conatur, licere aliquid addere Scripturis: ideoque locum illum Deuteron. 4. *nihil addendum verbo Dei:* κατάτι intelligendum: nempe, ne quis libris Mosis, aut Prophetarum de suo aliquid assuat aut affingat, quod illi non scripserint: vel ne eorum scripta corrumpantur.

LXVII.

Atqui in promptu est responsio· licuisse quidem Deo addere suo verbo & illud nouis libris Canonicis augere; sed id hominibus licere negamus. Nec addidit propriè suo verbo Deus, sicut de Pontificiis cõquerimur, eos ad Scripturas, incertas pugnantesque traditiones addere, & Scripturis adæquare: Quin potius verbum & fœdus suum diuersis libris enarrauit Dominus, & per Prophetas, per Filium & Apostolos nos est allocutus, & quotidie in illorum scriptis alloquitur.

LXVIII.

Et voluit tamen illorum librorum certum esse numerum, & certam mensuram: vt monet B. Iohannes cap. 20: *Hæc scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum Filium Dei, &c.*

LXIX.

Quod porrò statuit Lenseus nouam aliquam doctri-

ctrinam additam Scriptis propheticis in Nouo Testamento, cùm Prophetæ nunquàm docuerint Christum passum esse, & ascendisse in cœlum: valdè est alienum & insulsum.

LXX.

Disertè enim Christus affirmat, illas Scripturas de se, nimirum, de sua tum persona, tum officio, tum Regni sui conditione testificari. *Ioh.5.*

LXXI.

Et Euangelium iam ante promissum fuisse per Prophetas in Scripturis Sanctis de Filio Dei facto ex semine Dauid secundum carnem, docet Apostolus ad Rom.cap.*1*.

LXXII.

Nec vna certè & eadem esset fides patrum & nostra, si ad doctrinæ ipsius substantiam aliquid accessisset.

LXXIII.

Licet ergò diuersæ sint circumstantiæ Veteris & Noui Testamenti; in eundem Christum crediderũt, eundem inuocarunt, eandem escam Spiritualem nobiscum comederunt, & ratione efficaciæ non minus ipsis quàm nobis ab initio mundi mactatus fuit agnus ille tollens peccata mundi. *Rom. 4.* *1. Cor.10* *Apoc.13.*

LXXIIII.

Nouum autem Testamentum veteri additum est, nõ vt noua doctrina, sed vt veteris explicatio & complementum: aliàs quoad substantiam, *quicquid in vetere Testamento legitur*, vt rectè ad Damasum scribit

Hieronymus, *idem & in Nouo*: Et erudiunt nos quidem sufficienter singuli Scripturæ libri; sed pro argumento, quod tractant.

LXXV.

Nouum porrò effugium cum aliquot Iesuitis se inuenisse arbitratur Lenseus, dicens sufficientem quidem & perfectam esse Scripturam, quia Ecclesiam commendat, quam iubet audiri, vt absoluti euadamus.

LXXVI.

Atqui hoc est partim detorquere Scripturam, partim illudere Scripturę. Detorquere, quandoquidem
Matt.18. ille locus Matthæi: *Dic Ecclesiæ*: item, *Si Ecclesiam non*
17. *audierit*: de Censuris Ecclesiasticis presbyterij, non de nouis Traditionibus agit: Illudere, quia idem est, ac si dicas, aliquem esse idoneum & sufficientem Magistrum, qui aliquem nobis commendet, à quo plenè erudiamur.

LXXVII.

Ita ergò Scriptura non erit αὐτόπιστος, nec à Deo loquente pendebit eius autoritas & dignitas: sed ab Ecclesia: nec vsurpandum erit illud propheticum: *Hæc dicit Dominus*; sed, Hæc dicit Ecclesia.

LXXVIII.

Quòd si interrogetur Lenseus: Quid per Ecclesiam intelligat: An vniuersalem, siue Catholicum cœtum piorum & credentium? Ecclesiam statim & eius autori-

toritatem vel ad Pontificem Romanum reſtringet, vt nonnulli: vel vt alij, ad Epiſcopos & concilia.

LXXIX.

Et à Pontificibus ſcilicet, quorum alij ſe mutuò excommunicarunt: alij hæretici: alij idololatræ: alij Simonitæ fuerunt, autoritatem ſuam mutuabitur Scriptura.

LXXX.

Iubet quidem Scriptura audiri Eccleſiam, ſed eam, quæ eſt fundata ſuper veram & immotam petram: eam, quæ vt Luna à Sole, ſic à Chriſto lumen ſuum mutuatur; non autem Soli lumen infert: eam, quæ eſt cuſtos tabularum diuinarum; non quæ pro arbitrio tabulas nouas ſcribit, vel interpretatur diuinas.

LXXXI.

Et commouet omninò Eccleſiæ autoritas inprimis eos, qui initio ad Eccleſiam accedunt, & Scripturas nondum legerunt: interim cauſa credendi eſt autoritas & veritas diuina: vt piè ſcribit Auguſtinus: *Cum eſſemus* (inquit) *infirmi ad inueniendã liquida ratione veritatem, & ad hoc nobis opus eſſet autoritate Sãctarum literarum, iam credere cœperam, te nullo modo tributurum fuiſſe tam excellentem illi Scripturæ autoritatem per omnes terras: niſi &* PER IPSAM *tibi credi, &* PER IPSAM *te quæri voluiſſes.* Lib. 6 Conf. cap. 5.

LXXXII.

Aliud eſt igitur teſtimonium reddere: aliud, autoritatem addere Scripturæ: Iohannes Baptiſta Chriſto

testimonium dedit, autoritatem non addidit: Sic Ecclesia Scripturæ, quæ Spiritus quidem Sancti ductu, & ex Scripturarum collatione eas à falsis & supposititiis Scriptis discernit non autem potest vel ex libris nō Canonicis Canonicos facere, vel Canonicis suam autoritatem abrogare: sed suo Ministerio librorum Canonicorum autoritatem tuetur: *quorum excellentiam Apostolicis iam temporibus confirmatam fuisse* scribit Augustinus. Et alibi, *anathema iis denunciat, qui nunc alias Scripturas Canonicas recipere vellent.*

Lib. 11. cōtra Faust. c. 5.

Sermon. 121. de tempor.

LXXXIII.

pag. 146

Instat Lenseus, & ait: Si Ecclesiæ dicenti nobis, Scripturam esse Verbum Dei, credimus; cur non affirmanti has, vel illas Traditiones esse Apostolicas pari ratione credamus, cùm sit ipsa columna veritatis?

LXXXIIII.

Respondemus negari consequentiam, à potestate circumscriptâ ad infinitam: à traditionibus Apostolicis ad humanas: à veritate Diuina, cui innititur Ecclesia vt columna fundamento, ad nugaces vel dubias traditiones.

LXXXV.

1. Cor. 11. Iren. lib. 3. cap. 1.

Traditio Apostolica si intelligatur (vt sæpè fit in N. Testamento, & apud Irenæum) de iis, quæ in Concionibus, in Euangelica Historia, & Epistolis tradiderunt Apostoli; nos illas Traditiones facilè recipimus, & maximi facimus. Traditiones autem, de quarum autoribus, & numero dubitant & variant ipsi Pontificij, & quæ simplicitati, ac veritati Euangelij consentaneæ non sunt, respuimus, aut saltem ad illas alligari nolumus.

Futile

LXXXVI.

Futile est autem, quod ait Lenſeus Non ſequi, reprehendi Scripturam vt viciosam, etiamſi non omnia neceſſaria contineat: neque enim ideò vitioſam eſſe Epiſtolam B Iudæ, & Iohannis tertiam, quòd non omnia contineant.

LXXXVII.

Nam vt maximè vitioſam non vocent Pontificij Scripturam; magnam ei iniuriam faciunt, ſi eam non omnia ad Salutem, & ſufficientem inſtructionem neceſſaria complecti contendunt: ſiquidem hoc pacto nec fundamentum firmum, nec Fidei Regula eſſe poſſet. Per Scripturam autem in hac Diſputatione nos non ſeparatum aliquem librum, ſed totum corpus librorum Canonicorum intelligere ſuprà teſtati ſumus.

LXXXVIII.

Verùm eſto (inquit Lenſeus) Scripturam eſſe Fundamentum: Quid autem prodeſt fundamẽtum, niſi aliquid ſuperædificetur? Cur ergo illi fundamento Traditiones ſuperſtruere non liceat, vt integrum habeamus ædificium?

LXXXIX.

Reſpondet D. Paulus, *Videndum, quomodo quis ſuperædificet*: ne ſtipulam, & fœnum pro auro, & argento adferat; ſed fundamento illi aureo tota ædificij ſuperficies reſpondeat ſiue, vt omnes admonitiones, & exhortationes doctrinæ Fidei ſint analogæ, & conſentientes. *1. Cor. 3.*

XC.

Et ſi cum Scripturis loqui volumus, non certè

Tra-

Matt.16. Traditiones humanæ, sed ipsa Ecclesia ædificium
Eph.2. Fundamento, & Lapidi angulari superstructum di-
1. Pet.2. citur.

XCI.

Cæterùm non sufficit Lenseo, Scripturis esse iniurium: nisi & de Spiritu Sancto, quem vnà cum Scripturâ ipsâ interpretem, & magistrum nostrum agnoscimus, contemtim loquatur.

XCII.

Testimonium (inquit Lenseus) Spiritus Sancti, ad quod prouocat Caluinus in 3. caput 2. ad Timoth. quando dubitatur de autore Scripturæ: est aliquid non scriptum. Ergo præter Scripturam oportet habere aliquid non scriptum. Item, Spiritus est res æquè dubia, ac Traditiones: imò priuatum testimonium: cùm vnusquisque iactet Spiritum Sanctum.

XCIII.

Esa.59. Ad priorem obiectionem respondemus: Spiritum
Ioh.15. S. qui à Deo promissus, & datus est Ecclesiæ, longè a-
1.Cor.2. liud esse, quàm verbum non scriptum Pontificiorum, siue traditiones humanas: & præter Scripturam opus esse & gratia Christi & dono Spiritus Sancti sed non vt nouam doctrinam discamus, sed vt suggerat & inscribat cordibus nostris quæ foris docentur, Spiritus ille ipse qui Scripturæ autor & dictator fuit.

XCIIII.

Et hîc se iugulat Lenseus: Nam si agnoscit verbum non scriptum datum Ecclesiæ, esse Spiritum S. de cuius veritate & perfectione dubitari nequit, & cuius potente demonstratione; non autem persuasoriis
1.Cor.2. humanæ Sapientiæ verbis nitebatur D. Paulus: cur isto non contenti alia verba non scripta, dubia, & doctri-

doctrinæ Spiritus S. non consentanea nobis obtrudant?

XCV.

Ad alterum quod attinet, magna homonymia ludit, si per Spiritum S. nos intelligere putat singulorum Enthusiastarum afflatus, cùm intelligamus Spiritum Sanctum, Spiritum, cuius fructus describit Apostolus ad Galat. 5. Spiritum, qui ducit in veritatem, & intus obsignat idipsum quod foris docet Euangelium: Spiritum, qui non huic aut illi priuato, sed omnibus ritè inuocantibus nomen Iesu promissus est.

Ioh. 15. 16. *2. Cor. 1.* *2. Cor. 13. 13.* *1. Ioh. 2. 27.*

XCVI.

Verùm ne modum excedant theses nostræ, pluribus in præsentia contra Lenseum non agemus: cui tantùm propositum fuisse videtur, vel nostrorum argumenta eludere, vel partim pugnantia, partim falsa proferre.

XCVII.

Vt inter alia falsissimum est, quod ait Tertullianum, Hilarium, aliosque patres monêres, vt Scripturis contenti simus, κατά τι & iuxta subiectam materiã id intelligere: nimirum in certis articulis.

XCVIII.

Ipsemét verò Lenseus cap 5. rei veritate conuictus, ita scribit: *Quis Catholicus nescit, ad Scripturam inprimis* OMNIA *quæ d Fidei salutisq; rebus mouentur, examinari atque explorari oportere? Quis neget, verbo Dei standum, iuxtaque illud esse tenendum & faciendum, quidquid pertinere putatur ad veræ felicitatis consequutionem, &c.*

D Cæ-

XCIX.

Quomodo Scripturæ scrutandæ. Cæterùm nunc de TERTIO capite aliquid quoque dicendum est: quomodo videlicet scrutandæ & indagandæ sint Scripturæ.

C.

1. Cor. 4.3. Ac rectè quidem monet Apostolus, non Scripturę imperfectione aut culpa, sed hominum fieri, quod multis tecta est, quando eam per imperitiam vel ma-
Matt.22 litiam detorquent: vt Sadducæi faciebant, & de tali-
2. Pet.3. 16. bus nos D. Petrus admonet.

CI.

Sic & Iudæi, (vt scribit Cyrillus in 5. Iohan.) parum in Scripturis proficiebant, quia ad contradicendum potius veritati, quàm ad eam cognoscendam Scripturas legebant.

CII.

Psal.119. Ante omnia autem orandus est, exemplo Dauidis, sedulò Dominus, vt oculos nostros aperiat, vt videat & intelligant mirabilia legis ipsius.

CIII.

Deinde non obiter & perfunctoriè legendæ sed, vt monet Christus, scrutandæ & indagandæ sunt: quemadmodum à Berroënsibus fiebat, Act. 17.

CIIII.

Præterea Scriptura cum Scriptura conferenda est, non frustula tantùm decerpenda, vt fit ab hæreticis,
Actor. 9. qui furantur & discerpunt Scripturas (inquit post
v. 22. Ieremiam, Cyprianus) nec ea docent, quæ cum nor-
Ierem.23 ma articulorum Fidei & pietatis congruant.

Ob-

CV.

Obſeruandæ etiam ſunt circumſtantiæ Temporis, rerum, perſonarum: & dictorum intelligentia aut ex præpoſitis, aut ex conſequentibus deſumenda, vt monent Cyrillus lib. 8. Theſauri cap. 2. & Hilarius li. 9 de Trinitate.

CVI

Se ipſam enim interpretatur Scriptura, & eam Spiritus S. ita temperauit, vt locis apertioribus fami ſuccurrat: obſcurioribus faſtidia detergat: nec quidquã ferè de eius obſcuritatibus erui poſſit, quod non planiſſimè alibi dictum reperiatur. Auguſt. li. 2. de doctrin. Chriſt. cap. 6.

CVII.

Scriptura itaque diuinitus inſpirata, vt iubet Baſilius, arbiter à nobis conſtituatur, & apud quos inuenta fuerint dogmata diuinis ſermonibus concordantia, his omninò veritatis ſuffragium accedat. Epiſt. 80.

FINIS.

